

lesi 69. & 77.; Nazianzenus epist. ad Cleodonium, Chrysostomus hom. 49. in Genesim, Damascenus lib.4. de fide Orthodoxa cap. 15.

Tertio. Alii volunt momento temporis, quo Christus prodit pudoris claustra in Virgine fuisse aperta; Sic tamen ut Christus integritatem omnem prodeundo sarciret. Contra hos pugnat Goffridus, Abbas Vindocinensis serm.4. de nativitate Domini.

Quarto. Godfredus Quodlibeto 7. qu.6. dixit Christum non fuisse natum transcundo per medium, sed ab extremo in extremum immediate transiliendo. Refert Suarez 3. par. qu. 35. art. 8. disp. 13. sect. 1. subdens, quod hoc facilius ei visum est, quam quod inter jacentia corpora penetraverit absque ruptione. Et concludit, hanc sententiam inter alias referre Durandum in 4. dist. 44. qu. 7., & illi non admodum displicuisse.

Quinto. Alii post Joannem Mayronium in 3. dist. 4. qu. unica art. 6. dixerunt, Corpus Christi fuisse in Virginis utero locatiter inextensum, eo modo, quo in Eucharistia Sacramento sub panis speciebus continetur; & proinde illæsis Virginei pudoris claustris e Virginis utero exivit. Referunt Graveson de Mysteriis, & annis Christi Dissert. 1. concl. 2., & Serry exercit. 29.

Sexto. Ecclesie Patres patratum miraculum unanimiter farentur, asserentes nimirum Christum Jesum clauso Mariae Virginis utero natum fuisse. Et insuper docent, miraculum in eo fuisse, quod Christus exierit uteri, & virginalis claustris penetratione; scilicet illo eodem modo, quo Christus clauso monumento resurrexit, & clauso Ostio ad Apostolos intravit.

Dicimus I. Christum Jesum clauso B. Mariae Virginis utero esse natum; uteri nimirum, & claustris virginalis penetratione.

I. Probatur ex Scripturis. Isaia 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*: ergo tam Virgo fuit concipiendo, quam pariendo: ergo quemadmodum clauso utero concepit, ita pariter clauso utero peperit. Hæc autem verba de Maria fuisse prædicta, testatur Matthæus cap. 1., qui postquam dixit Angelum suavisse Josepho, ut acciperet Mariam conjugem suam, quia quod in ea natum erat, de Spiritu Sancto erat, & filius, quem in ventre portabat, redempturus esset a peccatis populum suum; subjunxit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Do-*

*mino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Addit Vasquez quod non pauci Patres censent, hoc testimonium Isaia allegatum fuisse Josepho ab Angelo, ut suaderet ei accipere Mariam, & eam excusaret. Sicque ait verba illa interpretatos fuisse Iræneum lib.4. adver. hæres. cap. 40. ante medium, Chrysostomum homil. 5. in Matth. Theophylactum in cap. 1. Matthæi, Augustinum, vel quicumque sit author sermonis 18. de tempore. Ezechielis 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Ad quæ verba Ambrosius inquit lib. de instit. Virginis cap. 7. *Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali susus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine.* Cui subscribunt Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. Gregorius Magnus homil. 26. in Evangel. Theodoretus Dialog. 2. S. Maximus Taurinensis homil. 2. de Nativitate. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus epist. 11. ad Flavianum: *Non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietates remotas sit generis.* Quibus addit Suarez: „ Quæ verba tam ad Conceptionem, quam ad partum accommodari possunt. „ Et ser. 2. de nativitate: *Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis.* Et infra: *Oportuit enim, ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, contracta solidare, &c.* Gregorius Magnus hom. 26. in Evang. *Prima lectionis hujus Evangelicæ questio animam pulsat, quomodo post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis januis ad Discipulos ingredi potuit.* Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant, falsa mirabiliora. Illud enim